



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**R. D. Magistri Petri Lombardi Novariensis Episcopi
Parisiensis. Sententiarvm Libri IV. quibus vniuersæ
Theologiæ summa continetur**

Petrus <Lombardus>

Mogvntiæ, 1632

De tribus bonis coniugij. A

urn:nbn:de:hbz:466:1-38829

missis coniugium fieri ex communi consensu ver-
bis de presenti expresso, quamuis amor ad hoc at-
traxerit. Cuius rei documentum præstat Iacob,
qui Rachel decoram facie & venusto aspectu ama-
uit, eamq; multum diligens ait, Seruiam tibi pro *Genes. 19. a*
Rachel 7. annis. In Deuteronomio etiam legitur. *Deut. 21. b*
Si videris in medio captiuorum mulierem pul-
chram, & adamaueris eam, voluerisque vxorem
habere, introduces eam in domum tuam, &c.

Quod malus finis non contaminat sacramentum. E

Et licet fine non bono contrahatur coniugium,
quando species contrahentis mouet animum, cō-
iugium tamen bonum est: quia vita mala vel in-
tentio peruersa alicuius, sacramentum non con-
taminat. Habuit autem coniugium Mariæ & Io-
seph alias causas speciales, scil. vt virgo solatio vi-
ri sustentaretur, & vt diabolo partus celaretur: vt
Ioseph esset testis castitatis, defendens eam ab in-
famia suspicionis, ne adultera damnaretur. *Hiero. in cō-
ment. ad c. 1. Matth. 1. 9.*

DE TRIBVS BONIS CONIUGII.

D I S T I N C T. X X X I. A

Post hæc de bonis coniugii quæ sint, & qualiter
coitum excusent, dicendum est. Tria sunt prin-
cipaliter bona coniugii. Vnde Aug. Nuptiale bo-
num tripartitum est, scil. fides, proles, sacramen-
tum. In fide attenditur, ne post vinculum coniu-
gale cum alio vel alia coeatur: In prole vt aman-
ter suscipiatur, religiosè educetur. In sacramento,
vt coniugium non separetur, & dimissis vel di-
missa ne causa prolis alteri coniungatur. *Aug. de Ge-
nes. ad liter. li. 9. c. 7. 10. 31.*

De duplici separatione. B

Separatio a. gemina est, corporalis scil. & sacra-
mental: corporaliter possunt separari causa for-
nicationis, vel ex cōmuni consensu causa religio-
nis, siue ad tempus siue vsq; in finem. Sacramentali-
ter vero separari non possunt dum viuunt, si legi-
timæ personæ sint. Manet n. vinculum coniugale
inter *Matth. 16. b*